

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator  
communiter resurget ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 4. Generalis ista gratiae oblatio quae juxta hunc sensum admitti potest,  
peccatoribus nil prodest nisi Deus speciali beneficio ea auferat quibus ipsi  
ex se semper sunt gratia indigni & impedimento.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

*auxilio gratiae præveniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa precedente in eis relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excusat, quod per ebrietatem committit, quam suâ culpâ incurrit. Præterea licet ille, qui est in peccato non habeat hoc in propria potestate quod omnino vitet peccatum, habet tamen potestatem nunc vitare hoc vel illud peccatum. Inde quodcumque committit voluntariè committit, & ita non immeritò, ipsi imputatur ad culpam.*

## §. IV.

*Generalis ista gratiae oblatio quæ juxta hunc sensum admitti potest, peccatoribus nil prodest nisi Deus speciali beneficio ea auferat quibus ipsi ex se semper sunt gratiâ indigni & impedimento.*

**T**Ametsi ergo omnibus hoc sensu Dei gratia sit parata, id tamen peccatori parum est ut ejus particeps fiat: sponte enim peccati servus effectus, ei in se ipso impedimentum præstat, & ut prosequitur idem S. Doctor, *in quantum ordo rerum exigit, gratiam non deberet recipere.* Tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari potest, sicuti cum cœcum illuminat vel mortuum resuscitat: interdum ex abundantia Cap. 161. bonitatis sua etiam eos qui impedimentum gratiae præstans

## 30 CONVERSIO

præstant auxilio suo prævenit avertens eos à malo  
 & convertens ad bonum; & sicut non omnes cæcos  
 illuminat, nec omnes languidos sanat, ut & in  
 illis, quos curat opus virtutis ejus appareat, &  
 in aliis ordo naturæ servetur, ita non omnes qui  
 gratiam impediunt auxilio suo prævenit, ut aver-  
 tantur à malo & convertantur ad bonum: sed  
 aliquos, in quibus vult suam misericordiam ap-  
 parere, ita quod in aliis justitiæ ordo manife-  
 tur. Hinc est quod Apostolus dicit Rom. 9.  
 Volens Deus ostendere iram & notam facere po-  
 tentiam suam sustinuit in multa patientia vasa  
 iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias glo-  
 riae sue in vasa misericordiæ quæ preparavit in  
 gloriam.

§. V.

*Etsi juxta Authorem Appendix, gratia ab ipso  
 asserta multis sub finem vitæ denegetur, non  
 ideo Deus illos hortatur ad impossibile: cur non  
 eodem modo ipse loquitur de sanis?*

**S**ed instat contra hæc Appendix, quia  
 omnes Christus ad se vocat & ad  
 pœnitentiam hortatur. Si Christus, in-  
 quirat, hortatur omnes ad agendam pœnitentiam,  
 indubie omnibus gratiam offert, alias hortatur  
 ad impossibile. Verum huic objectioni ex  
 verbis Christi desumptæ superiori capite  
 jam est responsum; quod autem addit:  
 alias